

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Compendiosa regum Daniæ historia

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 31. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415585256624/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

Regum Daniæ Historia 31

4 SVENO.

86. Sueno Erici Emundi filius. Huius temporibus
ambiebant regnum etiam Chanutus Magni filius et
Waldemarum Chanuti ducis filius, variantibus inter
5 sese populi suffragijs. Igitur Schanienses elegerunt
Suenonem vna cum Sielandis, Iutorum principatum
tenente Chanuto, inter quos ancipiti semper fortuna
pugnatum est annis decem. Ab hoc Suenone cap-
tus est et per ludibrium in templo Beati Laurentij
10 suspensus Eschillus Archiepiscopus Lundensis. Vbi
ergo Sueno iste nulla certa victoria viderat sibi to-
tius regni principatum contigisse, desperabundus
fugit in Saxoniam. Interim Dani conuenerunt eli-
gentes duos reges Waldemarum filium Chanuti du-
15 cis, filii Erici boni, et Chanutum filium Magni inter-
fectoris Beati Chanuti, hac lege vt simul regnarent.
Quod cum audisset Sueno, ex Saxonia reuersus hanc
meruit gratiam, vt cum alijs duobus regni consor-
tium acciperet, partito in tres partes vniuerso regno.
20 Sueno igitur Saxonum præsidijs et armis fretus mox
Chanutum Roschildiæ dolose occidit, occisurus
etiam Waldemarum, nisi beneficio Hesberni Snare
nepotis Skialmonis Candidi seruatus ac in Iutiam
maximo naufragij periculo fuisset transuectus. Quem
25 cum insequeretur Sueno eodem anno in prælio, quod
Grathemosæ commissum est, a Waldemaro victus et
occisus est, vnde et iustas dedit perfidiæ poenas.

5 CHANVTVS.

87. Chanutus filius Magni, filij Nicolai regis, in-
30 terfectoris Beati Chanuti ducis. Hic naturam a patre

sortitus, a paternis moribus erat alienus, cumque duodecim pene annis dubia spe regnasset, tandem a Suenone perfidissimo Roschildiæ per insidias nocte occiditur.

I. WALDEMARVS.

5

88. Waldemarvs Chanuti ducis filius, non solum naturæ, sed etiam pietatis paternæ heres egregius. Hic, interfecto publico prælio perfidissimo Suenone, tandem solus regnavit. Huius temporibus, cum frequentes facerent incursiones Saxones in Iu- 10 tiam, Waldemarvs et Absolon Episcopus Lundensis, vt multis annis arcerentur ab huiusmodi incursionibus, extruxerunt murum cocti lateris super vallo olim facto in eandem rem ab illustrissima Danorum regina Thyra Danebod, matre Haraldî Blotand, quam 15 quidem structuram appellabant Danewirke. Hic Waldemarvs cum esset multis victorijs gloriosus, admirandis etiam rebus eximius, triumphata Rugia atque per Absolonem ad fidem conuersa, cum filiam suam dedisset Friderici Imperatoris filio vxorem 20 vidissetque sanctissimum patrem suum diuorum catalogo adscriptum filiolumque suum regni diademate ornatum, tandem mortuus est, cum regnasset annis 25, Anno domini 1182.

6. CHANVTVS.

89. Chanutus primus Waldemari filius, qui per 25 Absolonem Episcopum terra et mari gloriose beligeratus est aduersus Romanum imperatorem, contententem Danorum regnum semper liberrimum